

DOXOLOGIA  
DEI SALVATORIS

EX GESTIS ET EPITOME EXODI

**Lauda, Jerusalem, Dominum** : lauda Deum tuum, Sion.  
**Quis loquetur potentias Domini** : auditas faciet omnes laudes ejus?  
**In exitu Israel de Aegypto** : domus Jacob de populo barbaro.  
**Facta est Judæa sanctificatio ejus** : Israel potestas ejus.  
**Intravit enim Israel in Aegyptum** : et Jacob acola fuit in terra Cham.  
**Auxit ibi Deus populum suum vehementer** : et firmavit eum super inimicos ejus.  
**Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus** : et dolium facerent in servos ejus.  
**Moses.** Misit ad Pharaonem Moſen ſervum suum, et Aaronem electum Domini.  
**Posuit in eis verba signorum suorum, et prodigiorum in terra Cham.**  
**Convertit aquas eorum in sanguinem** : et occidit pisces eorum.  
**Edidit terra eorum ranas** : in penetralibus regum ipsorum.  
**Dixit, et venit cœnomyia** : et ciniphes in omnibus finibus eorum.  
**Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum.**  
**Et percussit vineas eorum et ficulneas eorum** : et contrivit lignum finium eorum.  
**Dixit, et venit locusta** : et bruchus, cujus non erat numerus.  
**Et comedit omne fœnum in terra eorum, et omnem fructum terræ eorum.**  
**Misit tenebras, et obscuravit** : percult eos igne et spectris in nocte horrenda.  
**Percussit omne primogenitum in terra eorum** : primitias omnis laboris eorum.  
**Eduxit Hebræos cum argento et auro** : quibus spoliaverunt Aegyptum.  
**Egressus est populus Dei in exultatione** : et electi ejus in lætitia.  
**Lætata est Aegyptus in profecione eorum** : quia incubuit timor eorum super eos.  
**Expandit Dominus nubem in protectionem eorum** : et ignem, ut lucret eis per noctem.

**Columnæ  
nubi.**

**Audivit Pharaos eos concludi mari Rubro, dixit** : Persequar, et interficiet eos manus mea.  
**Ingressus est post eos cum curribus et equibus suis in mare** : et reduxit super eos Dominus aquas maris.  
**Filii autem Israel ambulaverunt per sicum** : in medio ejus, quasi in deserto.  
**Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est** : equum et ascensorem dejecit in mare.  
**Beatus es tu, Israel, quis similis tui?** popule, qui salvaris in Domino.  
**Ascensor cœli auxiliator tuus** : ipse est scutum auxilii tui et gladius gloriæ tuæ.  
**Dominus quasi vir pugnator** : omnipotens nomen ejus.  
**Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare** : electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro.  
**Abyssi operuerunt eos** : descenderunt in profundum quasi lapsi.  
**In spiritu furoris tui, Domine, congregatæ sunt aquæ** : stetit unda fluens utrimque instar murorum : donec pertransiret populus tuus, quem possedisti.  
**Flavit spiritus tuus, et operuit Aegyptios mare** : submersi sunt quasi plumbum, in aquis vehementibus.  
**Quis similis tui in fortibus, Domine?** quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia.  
**Maria prophetissa duxit chorum mulierum, eisque cum tympano præcinnuit** : Cantemus Domino gloriose.  
**Prælusit illa B. Mariæ Deiparæ, matri Jesu, qui nos inferno liberavit** : quam proinde beatam dicent omnes generationes.  
**Petierunt Hebræi carnes, et venit coturnix** : dedit eis Deus manna, et pane cœli saturavit eos.  
**Panem angelorum manducavit homo** : cibaria misit eis in abundantia.  
**In Raphidim eduxit aquam de petra** : et adaquavit eos, velut in abyſſo multa.  
**Venit Amalec, pugnans contra Israel** : orante Moſe, contrivit eum Josue.

**Mari  
Rubra.**

**Pharaos  
matri-  
tur.**

**Mariæ  
dux  
chori.**

**Aquam  
petræ.**

**Amalec  
vincitur.**

**Let in Sina** : In Sina descendit Deus in igne, fumo, procellis et buccina : voce tubali Decalogum promulgavit.  
**Dedit Moſi præcepta, judicia et cæremonias** : quibus fœdus sanxit cum Hebræis.  
**Inſiſt fabricare arcam fœderis, Cherubim et propitiatorium** : mensam panum propositionis et candelabrum aureum.  
**Tabernaculum, cortinas, vectes, atrium** : et in eo altare holocaustorum, cum labro æneo.  
**Altare quoque thymiamatis, cum incenso** : Aaroni dedit sacerdotium gentis.  
**Circumcinxit eum zona** : et induit eum stolam gloriæ.  
**Femoralibus, tunica, humerali et rationali vestivit eum** : posuit in eo duodecim gemmas, quasi stemmata et magnalia duodecim tribuum Israel.  
**Urim et tummim inſculpſit ei** : ut veritas doctrinæ et perfectio vite conderentur in pectore sacerdotis.  
**In veste poderis totus erat orbis terrarum** : cinxit illum tintinnabulis aureis, plurimis in Aegypto.  
**Dare sonitum in incessu suo, auditum facere pulsum in templo** : in memoriam filii gentis suæ.  
**Coronam auream dedit super mitram ejus** : expressam signo sanctitatis et gloria honoris : sanctum Domino.  
**Hæc omnia operati sunt Beseleel et Ooliab** :

**Let in Sina.**

**Arca et tabernaculum.**

**Aaron pontifex.**

**Rationalis.**

**Et Urim.**

**Foderis.**

**Tympanum.**

**quos implevit Dominus spiritu sapientiæ, ad fabricandum ea.**  
**Tardante Moſe in Sina, Hebræi fecerunt vitulum aureum** : et adoraverunt sculptile.  
**Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.**  
**Obliiti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Aegypto** : mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro.  
**Et dixit, ut disperderet eos** : si non Moſes electus ejus stetisset in conſractione, in conſpectu ejus.  
**Dicens** : Dimitte eis hanc noxam : aut dele me de libro tuo quem scripsisti.  
**Stetit Moſes in petra** : vidit tergum et gloriam Domini.  
**Cornua lucis afflavit ei Dominus** : dedit ei duas tabulas inſcriptas Decalogo.  
**Fecit Moſes tabernaculum cum vasis suis** : erexit illud in templum Domini.  
**Laudate Dominum de coelis** : laudate eum in excelsis.  
**Laudate eum in tympano et choro** : laudate eum in chordis et organo.  
**Laudate eum in cymbalis jubilationis** : omnis ſpiritus laudet Dominum.  
**Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto** : sicut erat in principio, et nunc, et ſemper, et in ſæcula ſæculorum. Amen.

**Vitulum  
aureum.**

**Mos  
cornua  
lucis.**

**Tabula  
legis  
Dei.**



